

Za
3264





Ha 3267

9096

4

CONSOLATORIA

ad

Clarissimum juxta ac Humanissimum

DN. JACOBUM

BORNIIUM,

J. U. Licentiandum,

Fautorem atque Amicum suum honorandum

jamq;

ob insperatum ac peracerbum excessum

PARENTIS JCTI:

Filium mœstissimum

transmissa

à

JOHANNE ERNESTO NORICO,

Northusan.



L I P S I Æ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,

Anno M. DC. LX.

4.



Posteaque de obitu VENERANDI PARENTIS Tui tristis allatus est nuntius, FAUTOR atque AMICE ÆTATEM COLENDE, tam inopinus tamq; lugubris mihi casus lacrymas excusit, tantumque ex hoc dolore Tuo procul dubio acerbissimo cepi doloris, quantum & admiratio Tuæ Virtutis imperabat & meritornm Tuorum in me cum multitudo tum magnitudo exigebat. Veruntamen cum paullo longius à summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam Tuus, mearum esse partium ducebam, ut *συμπάθειαν* animi scripto testatus, modicam aliquam consolationem adhiberem, qua dolorem Tuum si non sanare possem, saltem levarem. Equidem tam durus

ἀρεὴ κέρως ἢ σιδῆρος:

tam alienus & averfus ab omni humanitate non erit quisquam, qui lugendi ac inærendi causam justissimam ei datam esse neget, si quis acerbâ morte, tam charo Parente, tam candidi pectoris, tam præclaræ Virtutis ac Prudentiæ orbatus, imo latere spiritum petat, lacrymas fundat, vestem mutet. Verum ut in aliis rebus aureæ lineas mediocritatis transilire nefas, ita cum primis in luctu modus is adhibendus esse videtur, quem ratio poscit, Fides præscribit; Amisso scilicet amico neq; ficci sint oculi, monito Senecæ, nec stiant: lacrymandum, non plorandum: Cum enim queri nemo possit eâ se conditione esse in quâ nemo non est; æquis & oculis & animis feramus, si quid humanitus nobis aut nostris accidat: Communi hac lege nasci cogitemus, ut & vitâ omnibus Fortunæ telis proposita sit, & improvisa vis lethi, quando cumq; vitæ necisque Domino visum, serius, ocyus, pauperum regumque pueros tollat, & magnæ Matris sinui inferat. Neque ea tantum nostri generis esse Fata cernimus: Etiam florentissima regna, Urbes amplissimæ ac superbissimæ, Arces munitissimæ annorum periodo, quam provida Cæli prudentia definivit, decursa, in chaos antiquum quasi redeant, in cineres redacta, aut minimum in

in

in ruinis jacent nunquam restaurandis. Neq; hic dicam de Turribus Memphis quas barbara jactat, neq; Rhodi colossium, Ephesi Templum, bimarive Corinthi mœnia dudum everfa funditus commemorabo. Quot oppida in communi Patria nostra superiori bello divinâ jam benignitate sepulto prostrata ac diruta ante oculos jacent? Quare cum & OPTIMUS TUUS PARENS, (cui etiam me tacente meditata ad memoriam Virtutis carmina, & laudationes & lacrymæ, vel doloris imitamenta) metum, dolorem, pericula, morbos & alia id genus, quæ misere miseros in hac mortalitate uadiquaq; circumstant, mala evaserit, immarcesibili gloriæ Coronâ potitus, metam attigerit, vitæq; fabulam supremo Chorago Deo sic jubente, piè ex voto peregerit, mortem tam beatam, panè dixeram invidendam, mitius feres, neq; inutili luctu mordaces illas sollicitudines, quas vita hæc comites trahit individuas, duplicabis; ita levius fiet patientiâ, quicquid corrigere est nefas. Nam quæso semper urgeas, ut cum Poeta loquat,

*Flebilibus modis
 Mysten ademptum, nec Tibi vespero
 Surgente decedunt amores
 Nec rapidum fugiente solem.
 At non ter ævo sanctus amabilem
 Ploravit omnes Antilochum Senex
 Annos: nec impubem parentes
 Troilon aut Phrygiæ sorores
 Flevere semper: Desine mollium
 Tandem querelarum: Et potius nova*

PARENTIS Trophæa, cordnas, cæteraq; omni & dicto & cogitatione majora ornamenta ipsi ab unico Salutis nostræ Assertore ac Vindice collata admiratus exulta. Tiberium atq; Augustam publico Germanici luctu abstinuisse etiam S. P. Q. R. lugente, Annales memorant, inferius Majestate suâ rati, si palam lamentarentur: ita TU FAUTOR COLENDE, laudi virtutum Tuarum adversari existimes, si nimio plus dolori fibulam laxes aut animum

mum tam pertinaci studio, tam inexhaustâ diligentia tamq; admirabili iudicio excultum, excrucies. Lutherum imperterriti Heroem animi Filiâ panê jam nubili præmaturâ morte orbatum, in hæc erupisse verba scimus, caro, caro est, & dolorem sentit, alioqvi gnata unicê charam malorum istud pelagus trajecisse & arduum hunc, montem superasse, serio bis serio lætor, neq; ulla hic nisi carnis tristitia reliqua est: Quod exemplum Ducis tam boni tamq; cordati, quoad licet, sequamur, & de quiete, qua beatissimos Fidelium Manes frui imperturbatâ fide Magistrâ novimus, discedentibus gratulemur, eorumq; Triumphos plausu potius quam planctu prosequamur, aut minimum sine gemitu & ejulatu, qui sententiâ Sapientum Sapientem virum minimè decet, comitemur ovantes: ipsi enim relicto terreno hoc diversorio ubi

Luctus & ultrices posuere sedilia cura

donati nobili illo ac cœlesti *πολιτ' & υαλ'*

Devenere locos letos & amena vireta


Fortunatorum nemorum sedesq; beatas.


Veniet iterum, qui eos in lucem reponet, dies: instat hora, quâ in vitam revocati, quos præmisimus, in mutuos amplexus ruent, Præsto est & ante fores quasi mors excubat, quæ ad summi Imperatoris nutum conjunget amantes. TETAMEN, FACTOR & AMICE HONORANDE, AMANDE, Patriæ, Familiæ, Amicis & mihi deniq; in cultoribus Tuis haut ita pridem nomen professio, benigniora Fata quam diutissimè servent, tam atroces ac acerbos casus à Te & Florentissimâ Tuâ familiâ clementer avertant, & mœrorem novum novo brevi gaudio, sic opto atque oro, compensent. Vale & fave

TUO

quantillus est

J. E. NORICO.





ULB Halle
003 730 506

3





CONSO

Clarissimum juxta

DN. JA

BOR

J. U. Lice


Fautorem atque Am

ob insperatum a

PARE

Filium n

JOHANNES ER



L I

LITERIS CHRIS

Anno M



Kodak LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

